Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32270
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

data est. Sed ad nostram noticiam pervenerunt: ea que propriis inspeximus oculis, exceptis his que a fidelibus agnita cognovimus, declaramus. Tempore quo Gallus episcopus Arvernam regebat ecclesiam, horum scriptor in adolescentia degens quartana graviter egrotabat, et ab eo plerumque dilectione unica visitabatur, eo quod patruus eius esset. Erat enim valitudo cum nimia stomachi pituita ac febre valida. In mea autem parvulo deficiente cibo, inspirante deo, ut ad beati Illidii basilicam deportaretur iussit. Illatusque manibus puerorum ad eius tumulum, facta oratione cum lacrimis, levatus est, se sentiret quam venerat. Reversusque ad domum, iterum a febre corripitur. Quadam vero die cum quartanam agere cepissem, cumque febris asperior solito aggravaret, et utrum evaderet dubia sub sorte iaceret, accedens genitrix eius ait ad eum: Mestum hodie dulcis nate filium habitura dies est, cum te talis attinet febris. Et ille: Sic, inquit, precor, obsecro, constitueris, sed ad sepulchrum me remitte beati Illidii pontificis. Credo enim et fides mea est, quod virtus eius et leticiam et mihi tribuat sospitatem. Tunc sancti deportatur ad tumulum, oratione fudit ad dominum, spondens prostratus sponte, quod si eum obtentu antistitis sui ab hoc contagio liberaret, clericum se futurum non prorsus moraretur, si deprecatio obtineret effectum. Hec effatus sensit primum discedere febrem, vocatoque puero domum se reportare deposcit. Cumque intercubitum vero tunc epulabantur fuisset illatus, erumpente a naribus sanguinis copia, febris simul et cruor defluxit. Quod virtus beati confessoris prestitum habetur probatum. Sed et nuper venandi comitis servus cum industria cecitate resideret, celebratis vigiliis sanus abscessit. De reliquiis vero eius hec prelatus ipse scriptor in actum est propria contemplatione perspexit. Dedicaverat ergo oratorium infra domum ecclesiasticam urbis Turonice in primo sacerdocii sui anno, in quo cum reliquiorum sanctorum pignora huius antistitis reliquias collocavit. Post multos vero dedicationis dies admonitus est ab abbate, ut reliquias quas in altari ipso locaverat visitaret, ne ab humore novi edificii humectate aliquid in his putridinis insideret. Quas cum requirens repperisset infectas, ablatas ex altari contra ignem siccare cepit. Verum illigaturas singillatim composuit. Venitur enim ad reliquias beati Illidii episcopi. Denique tenens easdem contra ignem: filum quo ligate

erant, quod erat valde complexum, super ardentes decidit prunas, et tamquam eneum aut ferreum a vapore ignis incanduit. Illo quoque parvipendente quod filum fieret, tantum sancte reliquie siccarentur, estimans autem eum iam in favilla fuisse resolutum, quod fuisset huius gloriosi pontificis. Multa quidem et alia de hoc sancto miracula sunt relata, que scribere longum putavi. Hec enim manifeste fidei perfecte sufficere que dicta sunt, quia cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt. Nam ad eius tumulum ceci illuminantur, demones effugantur, surdi auditum et claudi recipiunt gressum, prestante domino nostro Ihesu Christo, qui credentibus in se petita sine ambiguitate largitur.

Vita Abrahe abbatis.

Nulli catholicorum esse occultum reor quod dominus ait in euangelio: Amen dico vobis, si habueritis fidem integram et non hesitaveritis, si dixeritis huic monti: Transfer te, et transfert se; et omnia quecumque pecieritis in oratione meo credentes accipietis et fiet vobis. Ergo non erit dubium quod sancti obtinere possunt a domino quod pecierint, qui in eo fidei fundamine posito nullis hesitacionum fluctibus vacillant. Per quam fidem non solum in terrena patria terminum proprie, sed celestem vitam agere cupiunt exules seculi sunt, sed et terras marina ac peregrina peciere loca, ut ei cui se devoverant plus placerent. Sicut nunc beatus Abraham abbas, qui per temptaciones multas seculi fines et territorii magistri Arverni. Qui non inmerito Abrahe illi comparatur, seni per magnitudinem fidei, cui quondam dixerat deus: Exi de terra tua et de cognatione tua, et vade in terram quam monstravero tibi. Reliquit hic non solum terram propriam, sed et illa veteris hominis actionem, et induit novum hominem, qui secundum deum formatus est in iusticia, sanctitate, veritate; ideoque cum se profectum in his operibus cerneret, non fuit dubius in fide petere, quod prestaret sanctam constitus est optime: per quem opifex celi, maris ac terre parva quidem munio, sed admiranda miracula operari dignatur. Igitur Abraham iste super Eufratis fluvii litus exortus est. Hic vero inde